

## LIBER

tum de summo ingenio, & de optimis tuis studijs,  
& de spe amplissimæ dignitatis ita iudicare, ut ne  
minem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

CIC. THERMO PROPRAET. S.D. 13.55.

**C**um mihi multa grata sunt, quæ tu adductus  
mea commendatione fecisti: tum in primis,  
quod M. Marcilinum, amici atq; interpretis mei fili  
um, liberalissimè tractavisti. Venit enim Laodicea,  
& tibi apud me, mihiq; propter te gratias maxi  
mas egit. Quare quod reliquum est, à te peto, quan  
do apud gratos homines beneficium ponis, ut eò li  
bentius his commodes, operamq; des, quoad fides  
tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego  
cum antea studiosè commendabam Marcilium, tum  
multò nunc studiosius, quod in longa apparitione,  
singularè & propè incredibilem patris Mar  
cilij fidem, abstinentiam, modestiamq;  
cognoui. Vale.

## LIBER II. EPIST.

M. T. CICERO T. P. ATTICO

S. Ad Attic. lib. 3. Epist. 28.

**E**x tuis litteris, et ex re ipsa nos funditus peri  
isse video. Te oro, ut quibus in rebus mei tui  
indigebunt, nostris miserijs ne desis. Ego te ut scri  
bis, citò videbo. Plura non scribo; cura ut ualeas.

M. T. C.

SECUNDVS

M. T. C. T. P. ATTICO S. 3. 21.

**T**riginta dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas à uobis acceperam: mihi autem erat in animo iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epeirum, & ibi omnem casum potissimum expectare. Te oro, ut si quid erit, quod perspicias, quamcunq; in partem, quam plenissime ad me scribas, et meo nomine, ut scribis, litteras, quibus putabis opus esse, ut des. Vale. V. Kal. Nouemb.

M. T. C. T. P. ATTICO S. P. D. 3. 23.

**E**go quod per Thessaliam si irem in Epeirum, per diu nihil eram auditurus, & quod me studiosos habeo Dyrrachinos, ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalonice scripsissem. inde cum ad te me conuertam, faciam ut scias: tuq; ad me uelint omnia quam diligentissime cuiuscumodi sunt, scribas. Ego iam aut rem, aut ne spem quidem expecto. Vale. VI. Kal. Decemb. Dyrrachij.

M. T. C. T. P. ATTICO S. P. D. 3. I.

**C**um antea maxime nostra interesse arbitrabar te esse nobiscum, tum uero, ut legi rogationem, intellexi ad iter, quod constitui, nil mihi optatius cadere posse, quam ut tu me quam primum consequerere, ut cum ex Italia profecti essemus, siue per Epeirum iter esset faciendum, tuo, tuorumq; presidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem

L I B E R

sem te oro, des operam, ut me statim consequere,  
facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia  
perlata lex est. Pluribus uerbis tecum agerem, nisi  
pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. D. 3. 2.

**I** Tineris nostri causa fuit, quod non habebam lo-  
cum ubi pro meo iure diutius esse possem, quam  
in fundo Sicca, praesertim nondum rogatione corre-  
cta: & simul intelligebam, ex eo loco, si te haberem  
posse me Brundisium referre: sine te autem non esse  
nobis illas partes tenendas propter Antonium.  
Nunc ut ad te antea scripsi, si ad nos ueneris: consi-  
lium totius rei capiemus. Iter esse molestum scio, sed  
gota calamitas omneis molestias habet. Plura scribe-  
re non possum, ita sum animo perculso & abiecto.  
Cura ut ualeas. Dat. VI. idibus. Naryci Locridis.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. 3. 3.

**V** Tinam illum diem uideam, cum tibi agam  
gratias, quod me uiuere coegisti. Adhuc qui-  
dem ualde me poenitet, sed te oro, ut ad me Vibonem  
statim uenias, quod ego multis de causis conuertiter  
meum, sed eo si ueneris, de toto itinere, ac fuga mea  
consilium capere potero: si id non feceris, miras-  
bor. sed confido te esse facturum. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 3. 5.

**T** Erētia tibi & saepe, et maximas gratias agis.  
id est mihi gratissimum. Ego uiuo miserimus

& m. b.

S E C V N D V S .

Et maximo dolore conficior . Ad te quid scribam, nescio . Si enim es Romæ, iam me assequi non potes: si es in uia, cum eris me assecutus, coram agemus, quæ erunt agenda . Tantum te oro, ut quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis . Ego enim idem sum inimici mei mea mihi, non me ipsum adeo merunt . Cura ut ualeas . VIII. Idus April. Thurij.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 3. 6.

**N**on fuerat mihi dubium, quin te Tarēti aut Brundisij uisurus essem: id quæ ad multa peruenit in eis, ut et in Epeiro consisteremus, et de reliquis rebus tuo cōsilio uteremur: quoniam id nō contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum . Nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum . Tibi meos commendo, me uix misereque sustento . Vale . Dat. XIII. Kal. Maij. Tarenti.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. 3. 25.

**P**ost tuum à me discessum litteræ mihi Romæ pallatæ sunt, ex quibus prospicio, nobis in hac calamitate tabescendum esse . Neque enim ( sed bonam in partem accipies ) si ulla spes salutis nostræ subesset, tu pro tuo in me amore discessisses . Sed ne ingrati, aut ne omnia uelle nobiscum unâ interire uideamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Kal. Ianua. ubi a cunq; erimus, sistas . Vale .

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. 3. 16.

Totum

L I B E R

**T**otum iter mihi incertū facit expectatio literarum tuarum Kal. Sextil. datarum, nō aliud aliquid. Si spes erit, Epeirum: sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. Tuæ quidem litteræ, quò sæpius à me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quòd cum letæ sunt, tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant: ut facile appareat te, & consolationi seruire, et ueritati. Idq; te rogo plane, ut ad me, quæ scis, ut erunt; quæ putabis, ita scribas. Vale. Dat. XII. Kal. Septemb.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 3. 18.

**E**xpectationem nobis non paruam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompeiū certè suscepturum, & simul à Cæsare ei litteræ, quas expectaret; remissæ essent, auctore etiam daturum. Vtrum id nihil fuit? an aduersatæ sunt Cæsaris litteræ? an est aliquid in spe? Etiam illud scripseras, eundē secundum comitia dixisse. Fac (si uides quantis in malis iaceam, & si putas esse humanitatis tuæ) me fac de tota causâ nostra certiozem. Nam Quintus Frater homo mirus, qui me tam ualde amat, omnia mitit spei plena, metuens credo defectionem animi mei: tuæ aut litteræ sunt uariæ: neq; enim me desperare uis, nec temerè sperare. Fac, obsecro te, ut omnia, quæ à te prospici possunt, sciamus. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 3. 11.

Mc G

S E C V N D V S.

**M**E et tuæ litteræ, & quidã boni nuntij, non optimis tamẽ auctoribus, et expectatio uestrarum litterarũ, & quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonice tenebãt. Si accepero literas, quas exspecto, si spes erit ea, quæ rumoribus afferebatur, ad te me conferã: si nõ erit, faciã te certio rem, qd egerim. Tu me, ut facis, opera, cõsilio, gratia iuua. Con solari iam desine, obiurgare uerò noli: q̄ cum facis, ut ego tuũ amorem, et dolorem desidero? quem ita affectum mea ærumna esse arbitror, ut te ipsum con solari nemo possit. Quintum Fratrem optimum hu manissimumq; sustenta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Vale. Dat. IIII. Kal. Quintil.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. 3. 4.

**M**iseriæ nostræ potius uelim, q̄ inconstantie tribuas, quod à Vibone, quò te arcesseba mus, subito discessimus. Allata est enim nobis roga tio de pernicie mea: in qua, q̄ correctum esse audie ramus, erat huiusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. Illò cum peruenire non liceret, statim iter Brundisiũ uersus contuli ante diem ro gationis. Ne & Sicca, apud quẽ eram, periret, & q̄ Melitæ esse nõ licebat. Nunc tu propera, ut nos con sequare, si modò recipiemur. Adhuc inuitamur bea nignè: sed quod superest, timemus. Me, mi Pomponi ualde pœnitent uiuere. qua in re apud me tu pluri mũ ualuisse. Sed hæc corã. fac modò ut uenias. Vale.

C 4 M. T. C.

LIBER

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. I. IO.

**A** Siam Quinto suauissimo fratri obtigisse au-  
disti: nō enim dubito, quin celerius tibi hoc  
rumor, quā ullius nostrū litteræ nuntiarint. Nunc  
quoniam & laudis auidissimi semper fuimus, &  
præter ceteros *ὀλέμωε;* & sumus et habemur,  
& multorum odia, atq; inimicitias Reip. causa sus-  
cepimus: *παντοίης ἀρετῆς μὲν ἵσκει:* curaq; et  
effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur. His  
de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam  
ipsi Quinto dabo. Tu me uelim certiolem facias,  
quid de meis mandatis egeris, atq; etiam, quid de  
euo negotio. Nam, ut Brundisio profectus es, nulla  
mihi abs te sunt redditæ litteræ. Valde aueo scire,  
quid agas. Idib. Martijs. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. P. D. 2. IO.

**V**olo ames constantiam meam. ludos Anti-  
spectare nō placet. Est enim ὑποόλιον  
cum uelim uitare omnium deliciarum suspicionem,  
repente ἀναφάνει: & non solum delicatē, sed etiam  
am ineptē peregrinantem. Quare usq; ad No. Ma-  
ias te in Formiano expectaeto. Nunc fac, ut sciam,  
quo die te uisuri simus. Ab Appij foro hora 4. de-  
deram aliam paulo ante à Trib. tabernis. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O. S. 2. II.

**N**arro tibi: planē relegatus mihi uideor, postea  
quā in Formiano sum. Dies enim nullus  
erat.

SECUNDVS.

erat, Antij cum essem, quo die nō melius scirem Romae quid ageretur, quā ij, qui erant Romae. Etenim litterae tuae nō solum quid Romae, sed etiā quid in Rep. neq; solum quid fieret, uerum etiam quid futurum esset, indicabant. Nunc, nisi si quid ex praetercunte uiatore exceptū est, scire nihil possumus. Quare quanquam iam te ipsum expecto: tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modò actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse uolumus usq; ad pridie Non. Maias: eò si ante eam diem non ueneris, Romae te fortasse uidebo: nam Arpinum quid ego te inuitem?

Τηχῆ ἄλλ' ἀγαθὴ κευροτρόφῳ ἔπι ἔργῳ  
 ἦς γαίης δύναμαι ἡλυκέρωτόρομ ἄλλο ἰδέσθῳ.  
 Hec igitur: cura ut ualeas.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 3. 13.

**Q**uod ad te scripseram, me in Epeiro futurū, posteaquam extenuari spem nostrā, et euanescere uidi, mutavi consilium, nec me Thessalonica commoui, ubi esse constitueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis litteris scripseras fore, uti secundum comitia aliquid de nobis in senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse. Quae de re, quoniam comitia habita sunt, tuq; nil ad me scribis, perinde habebō, ac si scripsisses nihil esse.

C S meq;



L I B E R

meq; temporis non longinqui spe ductum esse, moleste feram. Quem autem motum te uidere scripseras, qui nobis utilis fore uideretur, eum nuntiant, qui ueniunt, nullum fore, in Tr. P. Des. reliqua spes est: quam si expectaro, non erit, quod putes me cause mea, ac uoluntati meorum defuisse. Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam grauiter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum uideas, ut neminem unquam nec uideris, nec audieris. Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici; mihi uero mens integra est: atq; utinam tam in periculo fuisset, cum ego ijs, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisq; usus sum: qui, ut me paulum inclinari timore uiderunt, sic implerunt, ut omni suo scelere, & perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum, quo rarius ad me litterae perferentur, hoc uelim diligentius omnia, quae putaris me scire opus esse, perscribas. Quintum Fratrem meum fac diligas. quem ego miser si incolumen relinquo, non me totum perisse arbitrabor. Vale. Non. Sextil.

M. T. C. T. P. ATTICO S. 3. 14.

**E**X tuis litteris plenus sum expectatiōe de Pōpeio, quidnā de nobis uelit, aut ostendat. Comititia enim credo esse habita: quib. absolutis scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse uideor, qui spea

SECUNDVS.

qui sperem, facio tuo iussu, et scio te me ijs epistolis  
 potius, et meas spes solitū esse remorari. Nūc uelim  
 mihi planē perscribas, quid uideas. Scio nos nostris  
 multis peccatis in hāc ærumnā incidisse, ea si qui ca-  
 sus ex parte correxerint, minus molestē feremus  
 nos uixisse, et adhuc uiuere. Ego præter uicæ celebrē  
 tatem, & quotidianā expectationem rerū nouarum  
 non cōmoui me adhuc Thessalonica: sed iam extru-  
 dimur, non à Planco (nam is quidē retinet) uerū ab  
 ipso loco minimē apposito ad tolerandū in tanto lu-  
 ctu calamitatem. In Epeirū ideo, ut scripseram, non  
 iui, q̄ subiti mihi uniuersi nuntij uenerant, et litte-  
 ræ. quare nihil esset necesse, quā proximē Italiam  
 esse. Hinc si aliquid à comitijs audierimus, nos in  
 Asiam conuertemus: neq; adhuc stabat, quò potissia-  
 mū: sed scies. Vale. XII. Kal. Sext. Thessalonice.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 4. 13.

**V**estorius noster me per litteras facit certiorē  
 rem, te Roma a. d. VI. Idus Maij putare pro-  
 fectū esse tardius, quā dixerat, quod minus ualuisse  
 ses. Si iam melius uales, uehementer gaudeo. Velim  
 domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, nō  
 secus, ac si ipse adesses, cum ceteri, tum Varronis.  
 Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex ijs li-  
 bris ad eos, quos in manibus habeo: quos ut spero,  
 tibi ualde probabo. Velim si quid fortē noui habes,  
 maxime à Quinto Fratre, deinde à C. Cesare, & si  
 quid

L I B E R

quid forte de comitijs, de Rep. (soles enim tu hæc festine odorari) conscribas ad me. Si nihil habebis, tamen scribas aliquid: nunquam enim mihi tua epistola, aut intempestiva, aut loquax uisa est. Maxime autem rogo, rebus tuis, totoq; itinere ex sententia confecto, nos quam primum reuisas. Dionysium iube saluere. Cura, ut ualeas.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 53.

**A**D. VI. Idus Maij ueni in Trebulanum ad Pontium: ibi mihi tue litteræ binæ redditæ sunt tertio abs te die. Eodem autem ex Pompeiano Philotimo dederam ad te litteras. nec uero nunc erat sanè quid scriberem. Qui de Rep. rumores, scribe quæso. In oppidis enim summum uideo timorem: sed multa inania quid de ijs cogites, & quando, scire uelim. Ad quas litteras tibi rescribi uelis, nescio. Nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt. quarum alteræ edictum Publij Licinij habebant (erant autem Non. Maij datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturneses. Quam uereor, ne quid fuerit  $\sigma\pi\alpha\delta\alpha\iota\acute{o}\tau\epsilon\rho\upsilon$  in ijs, quas non accepi, quibus rescribi uis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. iam deest quid scribam, et lucet. Beneuenti cogitabam hodie, nostra continentia & diligentia faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano, a. d. V. Idus Maij.

M. T. C.

SECUNDVS.

M.T.C. T.P. ATTICOS 5.6.

**T**arentum ueni a. d. XV. Kal. Iun. quod Pontium statueram expectare, comodiſſimum duxi dies eos, quo ad ille ueniret, cum Pompeio consuetudine, eoq; magis, quod ei gratum esse id uidebam, qui etiam a me petierit, ut secum et apud se essem quotidie: quod concessi libenter: multos enim eius preclaros de Rep sermones accipiam: instruar etiam consilijs idoneis ad hoc nostrum negotium: sed ad te breuior iam in scribendo incipio fieri, dubitans Romae ne sis, an iam profectus: quod tamen quos ad ignorabo, scribam aliquid potius, quam committam, ut tibi cum possint reddi a me litterae, non reddantur. Nec tamen iam habeo quid aut mandem tibi, aut narrem. Mandavi omnia quae quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo cum aliquid habebonoui. Illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, ut confectum relinquant. Auide expecto tuas litteras, et maxime, ut norint tempus profectiois tuae. Vale.

M.T.C. T.P. ATTICO S.P.D. 7.4.

**D**ionysium flagrantem desiderio tui misi ad te, nec me hercule a quo animo, sed fuit concedendum. Quem quidem cognoui cum doctum (quod mihi ante erat notum) tum sanctum, plenum officij, studiosum etiam mea laudis frugi hominem, ac (ne libertinum laudare uidear) plane uirum bonum. Pompeium uide

LIBER

ium uidi 4. Idus. Decem. fuimus unâ horas duas for-  
 tasse: magna letitia mihi uisus est affici meo aduen-  
 tu: de triūpho hortari; suscipere parteis suas: mone-  
 re, ne ante in Senatū accederem, q̄ rem confecissem;  
 ne dicendis sententijs aliquem Tribunū alienarem.  
 Quid quæris? in hoc iudicio, & officio sermonis ni-  
 hil potuit esse prolixius. De Rep. aut ita mecum lo-  
 cutus est, quasi non dubium bellum haberemus: ni-  
 hil ad spem concordie: planè illum ab se alienatum  
 cum ante intelligeret, tum uerò proximè iudicasse.  
 Venisse Hirtium à Cæsare, qui esset illi familiarissi-  
 mus, ad se non accessisse: & cū ille a. d. 8. Idus De-  
 cemb. uesperu uenisset, Balbus de tota re constituis-  
 set a. d. 7. ad Scipionem ante lucē uenisse: multa de  
 nocte profectū esse ad Cæsare. hoc illi τειχηεροδ  
 Des uidebatur esse alienationis. Quid multa? nihil  
 me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiā inimi-  
 ci alterum consulatum, fortuna summā potentiam  
 dederit, non arbitror fore tam amentem, ut hæc in-  
 discrimen adducat. quod si ruere cœperit, ne ego  
 multa timeo, quæ non audeo scribere: sed ut nunc  
 est, a. d. III. Non. Ianu. ad urbem cogito. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. . 7. 6.

**P**lanè deest quid ad te scribam: nota omnia tibi  
 sunt: nec ipse habeo à te quid expectem.  
 Tantū igitur nostrum illud solenne seruemus, ut ne-  
 quem istuc euntē sine litteris dimittamus. De Rep.

ualde

SECUNDVS.

valde timeo: nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cesari, quod postularet, potius, quàm depugnandũ. Est illa quidem impudens postulatio, opinione ualentior. Cur autem nunc primum ei resistamus? & ἢ ἂν τὸδε μᾶλλον ἔπειτα κακίον, quàm cum quinquennium prorogabamus, aut cum, ut absentis ratio haberetur, ferebamus? nisi fortè hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices: quid tu igitur sensurus es? non idem, quod dicturus: sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem, quod Pompeius: neq; id faciam humili animo. Sed rursus hoc permagnum Reipub. malum est, & quodammodo mihi præter ceteros non rectum, me in tantis rebus à Pompeio dissidere. Vale.

M. T. C. T. P. ATTICO S. 7.9.

**S**ubito consilium cepi, ut ante quàm luceret, exirem, ne qui conspectus fieret, aut sermo, licitori bus præsertim laureatis. De reliquo neq; hercule quid agã, nec quid acturus sim, scio. ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilij. Tibi uerò quid suadeam, cuius ipse consilium expecto? Cneus noster, quid cõsiliij ceperit, capiãtue, nescio, adhuc in oppidis coarctatus: & stupent omnes. Si in Italia consistet, erimus unã: sin cedit, consilij res est: adhuc certè (nisi ego insanio) stultè omnia, & incautè. Tu quæso crebro ad me scribe, uel  
quod

LIBER

quod in buccam uenerit. Vale.

M. T. C. T. P. ATTICO S. 7. 17.

**N**ihil habeo, quod ad te scribam: quin etiam  
eam epistolam, quam eram elucubratus, ad  
te non dedi: erat enim plena spei bonæ, quod & con-  
cionis uoluntatem audieram, & illū conditionibus  
usurum putabā, præsertim suis. Ecce tibi III. Non.  
Febr. mane accepi litteras tuas, Philotimi, Furnij,  
Curionis ad Furnium: quibus irridet L. Cæsaris le-  
gationem. Plane oppressi uidemur, nec quid consi-  
lij capiam, scio: nec me hercule de me laboro: de pu-  
eris quid agam, nō habeo. Capuam tamen proficisce-  
bar hæc scribens, quo facilius de Pompeij rebus co-  
gnoscerem. Vale.

M. T. C. T. P. ATTICO S. 7. 18.

**B**reuiloquentem iam me tempus ipsum facit:  
pacem enim desperavi: bellum nostri nullum  
administrant. Caue enim putes quicquam esse mino-  
ris his Coss. quorum ego spe audiendi aliquid et co-  
gnoscenti nostri apparatus, maximo imbri Capua-  
am ueni pridie Non. ut eram iussus. illi autem non-  
dum uenerant, sed erant uenturi inanes, imparati.  
Cncus autem Luceriæ dicebatur esse, & adire chor-  
teis Legionum uicinarum non firmissimarum. At  
illum reuere nuntiant, & iam iamq; adesse, non ut  
manum conserat (qui cum enim?) sed ut fugam in-  
tercludat. Ego autem in Italia καὶ συναποθᾶνείμ  
νῆσ

SECUNDVS.

nec te id consulo: sin extra, quid ago? ad manendū  
 hiemus, lictores, improuidi & negligentes Ducest  
 ad fugam hortatur amicitia Cn. caussa bonorum,  
 turpitudine coniungendi cum Tyranno. Qui quidem  
 incertum est, Phalarim ne, an Pisistratum sic imita  
 turus. Hæc uelim explices, & me iuues consilio. Ee  
 si te ipsum istic iam calere puto: sed tamen, quan  
 tum poteris. Ego si quid hic noui cognoro, scies:  
 iam enim aderunt Coß. ad suas Nonas. Tuas quotia  
 die litteras expectabo. Ad has autem cum poteris,  
 rescribes. Mulieres & Cicerones in Formiano rea  
 liqui. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 7. 20.

**P**Edem in Italia uideo nullum esse, qui non in  
 istius potestate sit. De Pompeio scio nihil,  
 eumq; nisi in nauim se contulerit, exceptum iri pu  
 to. O celeritatem incredibilem. Huius autem nostri.  
 Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo  
 angor, & crucior. Tu cedem non sine caussa ti  
 mes, non quo minus quicquam Cæsari expediat ad  
 diuturnitatem uictoriæ, & dominationis: sed uideo  
 quorum arbitrio sit acturus. Recte sit: censeo ceder  
 dum de oppidis his. egeo consilij: quod optimum fa  
 ctu uidebitur, facies. Cum Philotimo loquere, atq;  
 adeo Terentiã habebis Idi'us. Ego quid agam? quid  
 aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit ne  
 scio? Etsi terra quidem, qui possum? mari quo? tra

D      datus



L I B E R

dam igitur isti me? fac posse tuò: multi enim hora-  
 rantur: num etiam honestè? Nullo modo quidem, à  
 te petam consilium, ut soleo. Explicari res non po-  
 test, sed tamen si quid in mentem uenit, uelim scri-  
 bas: & ipse quid sis acturus. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O. S. 7. 22.

**P**hilotimi litteræ me quidem nō nimis, sed eos,  
 qui in his locis erant, admodum delectarunt.  
 Ecce postridie Cassij litteræ Capua à Lucretio fa-  
 miliari eius, Nigidum à Domitio Capuam uenisse:  
 eum dicere Vibullium cum paucis militibus è Pice-  
 no currere ad Cn. Confestim insequi Casarem, Do-  
 mitium non habere militū uim. Idem scripsit, Cass.  
 Capua discessisse. Non dubito, quin Cn. in fuga sit,  
 modò effugiat. A consilio fugiendi, ut tu censes,  
 absum. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. 7. 23.

**C**um dedissem ad te litteras tristeis, et metuo,  
 ne ueras, de Lucretij ad Cassiū literis Capua  
 missis, Cephalio uenit à uobis: attulit etiā à te litte-  
 ras hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia fa-  
 cilius credere possum, q̄ quod scribitis, Pompeium  
 exercitum habere. Nemo huc ita affert, omniaq;  
 quæ nolim. Rem miserā: malas causas semper obti-  
 nuit, in optima concidit. Quid dicam, nisi, illud eū  
 scisse: neque enim erat difficile hoc nescisse; erat  
 enim ars difficilis, recte Remp. gerere. Sed iā, iamq;  
 omnio

SECUNDVS.

omnia sciemus, & scribemus ad te statim. Vale.

M. T. C. T. P. ATTICO S. 8. 7.

**V**Num etiam restat amico nostro ad omne de-  
decus, ut Domitio non subueniat. At nemo  
dubitatur quin subsidio uenturus sit. Ego non puto.  
Deseret igitur talem ciuem? & eos quos una scis  
esse? cum habeat praesertim & ipse cohorteis tri-  
ginta? nisi me omnia fallunt, deseret. incredibiliter  
pertinuit. nihil spectat nisi fugam, cui tu (uideo  
enim quid sentias) me comitem putas debere esse.  
Ego uero quem fugiam, habeo: quem sequar non ha-  
beo. Quod enim tu meum consilium laudas, & me-  
morandum dicis: malle quod dixerim, me cum Poni-  
peio uinci, quam cum istis uincere. Ego uero malo,  
sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi  
esse uidebatur. Cum hoc uero, qui ante fugit, quam  
scit quem fugiat, aut quomodo, qui nostra tradidit, quem  
patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, conti-  
git, uictus sum: quod superest, nec ista uidere pos-  
sum, quae nunquam timui, ne uiderem: nec me hercis-  
le istum, propter quem mihi non modo meis, sed  
memetipso carendum est. Ad Philotimum scripsi  
de uiatico, siue a Moneta, nemo enim soluit, siue ab  
Oppiis tuis contubernaliibus. Cetera apposita tibi  
mandabo. Vale.

CN. POMPEIUS PROCOS. M. T. C.

IMP. S. P. D. 8. 14.

D 2

T. 1103

LIBER

**T**uas litteras libenter legi. Recognoui enim tuam pristinam uirtutem etiam in salute communi. Coss. ad eum exercitum, quem in Apulia habui, uenerunt. Magnoperè te hortor, pro tuo singulari perpetuoq; studio in Remp. ut te ad nos conferas, ut communi cōsilio Reip. afflictæ opem atq; consilium feramus. Censeo uia Appia iter facias, & celeriter Brundisium uenias. Cura ut ualeas.

CN. POMPEIUS PROCOS L. DOMITIUS PROC. S. 8. 18.

**M**iror te ad me nihil scribere, & potius ab alijs, quàm à te de Repub. certiores fieri. Nos disiecta manu pares aduersarijs esse non possumus: contractis nostris copijs, spero nos & Reip. & saluti communi prodesse posse. Quamobrem cum constituiisses, ut Vibullius mihi scripserat, a. d. V. Id. Febru. Corfinio proficisci cum exercitu, & ad me uenire, miror quid causæ fuerit, quare cōsiliū mutaris. Nam illa caussa, quam mihi Vibullius scribit, leuis est: te propterea moratū esse, quod audieris Cæsarem firmo progressu in castrum Truentinum uenisse. Quanto enim magis appropinquare aduersarius cœpit, cō tibi celerius agendū erat, ut te mecum coniungeres, prius quàm Caesar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quamobrem etiam te rogo, & hortor, id quod nō destiti superioribus litteris à te petere, ut primo quoq;

SECUNDVS.

quoque die Luceriam aduenires ante, quàm copiae, quas instituit Cæsar contrahere, in unum locum coactæ, nos à nobis distrahant. Sed si erunt, qui te impediunt, ut illas suas seruent, æquum est me à te impetrare, ut cohortes, quæ ex Piceno, & Camerino uenerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me misissum facias. Vale.

C. N. POMPEIUS L. DOMITIO S. 8. 20.

**L**itteræ mihi à te redditæ sunt a. d. XIII. Kal. Mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse: quod putavi & præmonui. Fit, ut nec in præsentia committere tecum prælium uelit, & omnibus copijs conductis te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atq; istas copias coniungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus: quo etiam magis tuis litteris sum cõmotus. Neq; enim eorum militum, quos mecum habeo, uoluntati satis confido, ut de omnibus fortunis Reip. dimicem. Neq; etiam, qui ex delectibus conscripti sunt à Coss. conuenerunt. Quare da operam, si ulla ratione etiã nunc efficere potes, ut te explices, & huc quàm primum uenias antè, quàm omnes copiae aduersariorum conueniant. Neq; enim celeriter ex delectibus huc homines cõuenire possunt: & si conuenirent, quantum ijs cõmittendum sit, qui inter se ne noti quidẽ sunt, contra ueteranas legiones, non te præterit. Vale.

D 3

M. T. C.

LIBER

M. T. C. T. P. ATTICO S. P. D. 8. 21.

**L**ippitudinis meae signū tibi sit librarij manus,  
 & eadem caussa breuitatis: etsi nunc quidem  
 quod scriberem, nihil erat. Omnis expectatio nos-  
 tra erat in nuntijs Brundisinis. Si nactus hic esset  
 Cn. nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante transmi-  
 sisset, exitiosi belli metus. Sed uides ne, in quē homi-  
 nem inciderit Res? quā acutum? quā uigilantē?  
 quā paratum? Si me hercule neminem occiderit,  
 nec cuiq; quicquam ademerit, ab ijs, qui eum maxi-  
 mē timuerant, maximē diligetur: multū mecum mu-  
 nicipiales homines loquuntur, multū rusticani. Ni-  
 hil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi uillulas, nisi  
 nummulos suos. Et uide quā conuersa res est: il-  
 lum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant,  
 quem timebant: id quantis nostris peccatis, uitijsq;  
 euenerit, non possum sine molestia cogitare. Quae  
 autem impendere putarem, scripseram ad te, &  
 iam tuas litteras expectabam. Vale.

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP. 9. 5.

**C**um Furnium nostrum tantum uidissem, neq;  
 loqui, neq; audire me cōmode potuisset proe-  
 perantem, atq; essem in itinere, praemissis iam legio-  
 nibus: praeterire tamen non potui, quin & scriberem  
 ad te, & illum mitterem, gratiasq; agerem. Et  
 si hoc officiū & feci saepe, & saepius mihi facturus  
 uideor, ita de me mereris. In primis à te peto, quo-

SECUNDVS.

niam confido me celeriter ad urbem uenturum, ut  
te ibi uideam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope  
omnium rerum uti possim. Ad propositum reuer-  
tar: festinationi meæ, breuitatiq; litterarum igno-  
sces: reliqua ex Furnio cognosces. Vale.

C. CAESAR, C. OPPIO. & L. CORNE-

LIO BALBO S. 98.

**G**Audeo me hercule, uos significare litteris q̄  
ualdè probetis ea, quæ apud Corfinium sunt  
gesta. Consilio uestro utar libenter: & hoc libentius  
us, quòd mea sponte facere constitueram, ut quàm  
lenissimum me præberem, & Pompeium, darem ope-  
ram ut reconciliarem. Tentemus, hoc modo si possu-  
mus omnium uoluntates recuperare, et diuturna ui-  
ctoria uti, quando reliqui crudelitate odium effu-  
gere non potuerunt, neq; uictoriam diutius tenere,  
præter unum L. Syllam, quem imitaturus non sum.  
Hæc noua sit ratio uincendi, ut misericordia et libe-  
ralitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit,  
nonnulla mihi in mentem ueniunt, et multa reperia-  
ri possunt. De his rebus, rogo uos, ut cogitatione sus-  
cipiatis. N. Magium Pompei præfectum deprehen-  
di: scilicet meo instituto usus sum, & cum statim  
missum feci. Iam duo præfecti fabrùm Pompei in  
meam potestatem uenerunt, & à me missi sunt. Si uo-  
lent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut ma-  
bit mihi esse amicus, quàm ijs, qui & illi, & mihi

D 4      semper

LIBER

semper fuerunt inimicissimi: quorum artificijs effectum est, ut Respub. in hunc statum perueniret.

CIC. IMP. S. D. CAESARI IMP. 9.14.

**V**T legi tuas litteras, quas ab Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem, te uelle uti consilio & dignitate mea, minus sum admiratus. De gratia & de ope quid significares, mecum ipse querebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia, de ocio, de pace, de concordia ciuium agi uelle arbitrarer, & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam, & personam meam. Quod si ita est, & si qua de Pompeio nostro tuendo, & tibi, ac Reip. reconciliando, cura te attingit, magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui et illi semper, et Senatui cum primum potui, pacis auctor fui. Nec sumptis armis belli unam partem attingi, iudicauique te eo bello uiolari, contra cuius honorem populi Ro. beneficio concessum, inimici atque inuidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse auctor dignitatis tuae fui, uerum etiam ceteris auctor ad te adiuuandum: sic me nunc Pompei dignitas uehementer mouet. Aliquot enim sunt anni, cum uos duos delegeri, quos praecipue colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem a te peto, uel potius precibus omnibus oro, & obtestor, ut in iuis

maximis

SECUNDVS.

maximis curis aliquid impertias temporis huic quo  
 que cogitationi, ut tuo beneficio bonus uir, gratus,  
 pius deniq; esse in maximi beneficij memoria possi-  
 sim. Que si tantum ad meipsum pertinerent spera-  
 rem me à te tamen impetraturum: sed, ut arbitror,  
 & ad tuam fidem, & ad Remp. pertinet, me & pa-  
 cis utriusq; uestrum, & ad ciuium concordia, per  
 te quam accommodatissimum conseruari. Ego, cum  
 antea tibi de Lentulo gratias egissem, cum ei salutis  
 qui mihi fuerat, fuisses: tamen eius litteris lectis,  
 quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, be-  
 neficioq; misit, eandem me salutem à te accepisse pu-  
 tauit, quam ille: in quē si me intelligis esse gratū, cu-  
 ra obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim. Vale.

L. CORNEL. BALBUS M.T.C. IMP. S.P.D. 9.17.

**C**Aesar nobis litteras perbreues misit, quarū  
 exemplum subscripsi: breuitate epistolae scire  
 poteris, eum ualde esse distētum, qui tanta de re  
 tam breuiter scripserit. si quid præterea noui fue-  
 rit, statim tibi scribam. Caesar Oppio, Cornelioq; S.  
 a. d. VII. Id. Mart. Brundisium ueni: ad murum castra  
 posui. Pompeius est Brundisij: misit ad me N. Magi-  
 um de pace: quæ uisa sunt, respondi. Hoc uos statim  
 scire uolui: cum in spem uenero, de cōpositione ali-  
 quid me conficere, statim uos certiores faciam. Va-  
 lete. Quo modo me nunc putas, mi Cicero, torque-  
 ri, postquam rursus in spem pacis ueni, ne qua res

D S compon



L I B E R

compositionem eorum impediatur? Namque quod ab-  
sens facere possum, opto: quod si una essem, aliquid  
fortasse proficere possem. Nunc expectatione cru-  
cior. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. I O. 2.

**E**GO cum accepissem tuas litteras. Non. Aprilis  
quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis  
postridie mansurus, et inde protinus, sustinui me  
in Arcano fratris, ut dum aliquid certius afferre-  
tur, occultiore in loco essemus, agerenturque nihilominus  
que sine nobis agi possunt. Iam adest, et animus  
ardet, nec est quicquam, quò, et quia: sed hæc  
nostra erit cura, et peritorum. Tu tamen, quod po-  
teris, ut adhuc fecisti, nos consilijs iuuabis. Res sunt  
inexplicabiles. Fortune sunt committenda omnia,  
sine spe conamur ulla. Melius si quid acciderit, mi-  
rabimur. Dionysium nolim ad me profectum, de quo  
ad me Tullia mea scripsit: sed et tempus alienum  
est, et homini non amico nostra incommoda tanta  
presertim spectaculo esse nollem: cui te meo nomi-  
ne inimicum esse nolo. Vale.

C A E S A R I M P. M. T. C I C E R O N I

I M P. S. I O. 8.

**E**T si te nihil temerè, nihil imprudenter factu-  
rum iudicaram: tamen permotus hominum fama,  
scribendum ad te existimaui, et pro nostra beneuo-  
lentiâ petendum, ne quo progredieris inclinata iam  
re, qua

S E C V N D V S.

re, qua integra etiam progrediendum tibi non existi-  
 stimasses. Namq; & amicitiae grauiorē iniuriam fe-  
 ceris, & tibi minus cōmodē consulueris, si non for-  
 tūne obsecutus uidebere. Omnia enim secundissima  
 nobis, aduersissima illis accidisse uidentur, nec cau-  
 sam secutus. Eadem enim tum fuit, cū ab eorum  
 consilijs abesse iudicasti, sed meum aliquod factum  
 condemnasse: quo mihi grauius abs te nil accidere  
 potest, quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a  
 te peto. Postremò quid uiro bono & quieto, et bo-  
 no ciui magis conuenit, quā abesse à ciuilibus con-  
 trouersijs? Quod nonnulli cum probarent, pericu-  
 li causa sequi non potuerunt: tu explorato et uita  
 meo testimonio, et amicitiae iudicio, neq; tutius, neq;  
 honestius reperies quicquam, quā ab omni contem-  
 ptione abesse. XV. Kal. Maij. ex itinere. Vale.

M. T. C. T. P. A T T I C O. S. P. D. II. 18.

**D**E illius ab Alexandria discessu, nihil adhuc  
 rumoris, contraq; opinio, ualde esse impedi-  
 tum. Itaq; nec mitto, ut constituerā, Ciceronē: & te  
 rogo, ut me hinc expedias. Quoduis enim supplicia-  
 um leuius est hac permansione. Hac de re & ad An-  
 toniū scripsi, & ad Balbum, et ad Oppiū. Siue enim  
 bellum in Italia futurum est, siue classibus utetur,  
 hic esse me minimē cōuenit, quorum fortasse utrum-  
 que erit. Alterum certē intellexi omnino ex Op-  
 pij sermone, quem tu mihi scripsisti, quae istorum  
 uis effectus

L I B E R

uia esset: sed ut eam flectas, te rogo. Nihil omnino iam expecto, nisi miserum. Sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. Quare cum Antonio loquere uelim, & cum istis: & rem ut poteris, expedias: & mihi quam primum de omnibus rebus rescribas. Vale XII. Kal. Quintil.

M. T. C. T. P. A T T I C O S. II. 19.

**C**um tuis dare possem litteras, non prætermisi, & si quid scriberem, non habebam. Tu ad nos. & rarius scribis, quam solebas, et breuius. Credo quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. Veruntamen uelim, quid erit, qualecunq; erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe, sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandū uix est. Philotimus dicitur. Idib. Sextil. nihil habeo de illo amplius. Tu uelim ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi. Mihi tantum temporis satis est, dum ut in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil unoquam caui. Vale. XI. Kal. Sextil.

M. ANTONIVS COS. M. P. CICFRONI

S. P. D. 149.

**O**ccupationibus est factum meis, & subita tua profectio, ne tecum coram de hac re agerem: quam ob causam uereor, ne absentia mea leuior sit apud te. Quod si bonitas tua responderit  
iudicio

SECVNDVS.

iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A  
 Cesare petij, ut Sex. Clodium restitueret: impetra-  
 ui. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio  
 eius, si tu concessisses. Quò magis laboro, ut tua vo-  
 luntate id per me facere liceat: quòd si durio-  
 rem te eius miseræ & afflictæ fortunæ præbes, non con-  
 tendam ego aduersus te: quanquam uideor debere  
 queri commentarium Cæsaris. Sed meherculè si hu-  
 maniter, & sapienter, & amabiliter me cogitare  
 uis, facilem te profectò præbebis, & uoles P. Clo-  
 dium in optima spe puerum repositum existimare,  
 non te insectatum esse, cum potueris, amicos pater-  
 nos. Patere, obsecro te, pro Repu. uideri gessisse si-  
 multatem cum patre eius. non cõtempseris hanc fa-  
 miliam. Honestius enim, & libentius deponimus in-  
 micitias Reip. nomine susceptas, quàm cõtumaciæ.  
 me deinde sine ad hanc opinionẽ iam nunc dirigere  
 puerũ, et tenero animo eius persuadere, nõ esse tra-  
 dendas posteris inimicitias. Quanq̃ tuam fortunam  
 Cicero, ab omni periculo abesse certum habeo: ta-  
 men arbitror malle te quietam senectutem, et hono-  
 rificam potius agere, quàm sollicitã. Postremo, meo  
 iure te hoc beneficium rogo: nihil enim nõ tua cau-  
 sa feci. Quod si non impetro, per me Clodio das-  
 turus non sum, ut intelligas quanti apud me au-  
 thoritas tua sit: atque eò te placabiliorem præ-  
 beas. Vale.

CICERO

LIBER  
CICERO PLANGO PRAETORI  
DESIG. S. 16. 15.

**I**gnosce mihi, quod cum antea accuratissimè de Buthrotijs ad te scripserim, eadè de re sæpius scribam. Nō meherculè, mi Plance, facio, quod parū confidam aut liberalitati tuæ, aut nostræ amicitie: sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc uero etiā existimatio, ut id quod probauit Cæsar, nobis testib. et obsignatoribus, qui et decretis et responsis Cæsaribus interfueramus, uideatur obtinere potuisse: præsertim cū tota potestas eius rei tua sit, ut ea, quæ Coss. decreuerunt secundum Cæsaribus decreta, et responsa, nō dicam comprobēs, sed studio sè, libenterq; comprobēs. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit: et si iam sperabam, cum has litteras accepisses, fore, ut ea, quæ superioribus litteris à te petissemus, impetrata essent: tamen, non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id fecisse, quod magna cum spe expectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere litterarum utamur, tibiq; pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, uelim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quàm me, qui non minus laboro, quàm ille, obligatum fore. Vale.

CICERO CAPITONI S. 16. 15.

Nobis

SECVNDVS.

**N**on dubito, quin mirere, atq; etiã stomacheã  
 re, quod tecum de eadem re agam sæpius.  
 Hominis familiarissimi, & mihi omnibus rebus con  
 iunctissimi permagna res agitur Attici. Cognouĩ  
 ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. Mul  
 tum potes nos apud Plancum iuuare. Noui humani  
 tatem tuam, scio quã sis amicis iucundus. Nemo  
 nos in hac causã plus iuuare potest, quam tu. Ee  
 res ista est firma, ut debet esse, quam Coss. de consi  
 lij sententia decreuerunt, cũ & lege, & S.C. cogno  
 scerent: tamen omnia posita putamus in Planci tui  
 liberalitate. Quem quidem arbitramur cũ officij  
 tui, & Reip. causã decretum Coss. cõprobaturum,  
 tum libenter nostra causã esse facturum. Adiuuas  
 bis igitur mi Capito. Quod ut facias, uehementer  
 etiam atq; etiam rogo. Vale.

LIBER III. EPIST.

SER. SVLPICIVS M.T.C. S.

Famil. lib. 4. Epist. 5.

**P**osteaquam mihi renũtatum est de obitu Tul  
 liæ filie tuæ, sanẽ quã pro eo, ac debui graui  
 ter, molesteq; tuli, communemq; eam calamitatem  
 existimavi: qui si istic affuissem, neq; tibi defuissem,  
 toramq; meũ dolorem declarassem. Et si genus hoc  
 consolationis miserum atq; acerbum est, propterea  
 tua quia per quos confieri debet propinquos ac  
 familias